



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Petri Ribadeneiræ, Societatis Iesv Presbyteri, De  
Tribulationibus huius seculi Libri Duo**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Coloniae, 1604**

VI. De effectibus quos tribulatio operatur in bonis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50340)

Psal. 11.

Etenim necesse est conflare, purgare, ac probare illud septies, vt purum & nitidum sit, & simile illi de quo Regius loquitur vates: *Argentum igne examinatum, probatum terre purgatum septuplum.* Denique Deus calamitates nobis immittit, & ab iisdem nos denuò liberat ad manifestandam misericordiam & bonitatem suam. Hinc Dominus in Euangelio de cæco nato interrogatus à discipulis suis.

Ioan. 9.

*Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit. Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo.*

## CAPVT VI.

## DE EFFECTIBVS QVOS TRIBVLATIO operatur in bonis.

**Q**Voniam intelleximus Deum esse causam tribulationis, qua pœna, & permittere eam, quâ peccatum est, nec non quare tantis nos molestijs affligat, præstiterit iã tractare de effectibus quos tribulatio operatur.

Præsupponimus ergo tribulationem re ipsa esse malam, in quantum priuatio est alicuius boni, quemadmodum paupertas diuitiarum, ægrotudo sanitatis, i-

gno.

gnominia honoris, & mors vitæ. Et sic-  
 ut illa quibus per aduersitates priuari so-  
 lemus, communiter bona appellari, & ab  
 omnibus appeti & desiderari consueue-  
 runt: ita naturaliter omnes tribulatio-  
 nem detestamur, quæ iisdem nos exuit ac  
 denudat, ideoque per se bona esse non  
 potest, præsertim ob peccatum immis-  
 sa, quod (vti supra declarauimus) fons  
 & featurigo est omnis mali. Cum ergo  
 tribulatio in suo principio molesta & in-  
 grata sit, perscrutabimur quâ ratione de-  
 siderabilis & conducibilis esse possit,  
 quod sine gratia Dei fieri impossibile est;  
 quia hæc vnica & sola de malo bonum,  
 & ex durissimo tribulationis lapide ole-  
 um & mel dulce producit, si nimirum à  
 Deo immissam suscipiamus libenter, &  
 patiēter amplectamur, fructum afferen-  
 tes in patientia. Quamuis enim plerique  
 quamdiu affliguntur amaritudinis gu-  
 stum ex hac salutari myrrha percipiant,  
 tamen afflictione cessante gratiam sibi  
 præstitam à Deo recognoscunt. Nam  
 sicut pueri si quando à parentibus vel  
 magistris castigantur, contristati virga-  
 rum plagas execrantur, virtutis earundē  
 ignari; sed cum viriles annos attigerint,  
 & considerauerint iuuentutis pericula.

## 30 DE TRIBVLATIONE

à quibus correctionibus istis fuerint præseruati, in quæ multi sine fræno disciplinæ currentes inciderint, tunc primum vtilitatem rigoris intelligentes, gratias agunt Deo, qui tales ipsis parentes ac præceptores prouidit: ita & nos miseri in hac vita degentes, tanquam pueri stulti non sapientes quæ Dei sunt, fugimus salutem nostram, detrectantes sorbere salutarem potionem nobis à Deo ordinatam; at postquam pueriles annos egressi in viros euaserimus (quod in alia vita futurum est) & in libro prouidentia diuinæ cursum præteritæ vitæ legerimus, iam tum agnoscentes magnitudinem misericordiæ & bonitatis Dei, qui tam foeliciter nos per inuia & deserta ad portum æternæ beatitudinis perduxerit, dicemus cum Propheta: *Transiimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium.*

*Psal. 65.*

Etsi pauci sint (sunt tamen aliqui) fructum & vtilitatem tribulationis intelligentes, vix autem vllus reperiatur, qui ipsam tribulationem quoad durauerit agnoscat, & patienter sustineat: tamen si quando cum honore ærumnas transactas recordari liceat, iam omnes in  
ijsdem

ijsdem enumerandis ac recensendis triumphant; quia sicut ait Apostolus:

*Omnis disciplina in presenti quidem videtur non esse gaudij, sed meroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiae.* *Heb. 12.*

Varij quidem & innumeri ex tribulatione fructus in nos redundant. ego tamen partibus meis non defuisse videbor, si de tribus tantum principalibus omnes reliquos in se comprehendentibus tractauero, & ostendero quomodo purget, illuminet, & perfectam reddat animam

hominis afflicti, quæ, vt Dyonisius

Areopagita docet, tres sunt actus cœlestis hierarchiæ.

*De cœlesti hier. cap. 3.*

B 4.

CAPVT.